



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Privilegium Et Facultas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

PRIVILEGIUM ET FACULTAS.

Cum Sacrae Cæsareæ Majestatis rescripto, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis, quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò, firmiterque inlibeatur, ne quamquam libros à Societatis IESV Patribus editos, vel impofterum editos, intra S. R. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris generis, aut forma sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudenda mittere, aut alibi jam impressos adducere, vendere, & distrahere clam seu palam, citra consensum ac testimonium supra dictorum Patrum audeat vel præsumat; Ideo Ego Benedictus Painter Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, juxta potestatem mihi ab Adm. Reverendo Patre nostro Ioanne Petri Oliva, ejusdem Societatis IESV Præposito Generali factam, Dom. Ioanni Casparo Bencard, Typographiæ Dilinganæ Possessori, & Bibliopolæ Academico, ejusque Hæredibus seu Successoribus, omnium prædictæ Typographiæ hæcenus concessas, & usurpatas facultates concedo, libros à Patribus nostræ Societatis conscriptos, singulariter R. P. Tobia Lohner Instructionem practicam primam de SS. Missæ Sacrificio celebrando.

Ejusdem Instructionem practicam secundam de Horis Canonicis juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis.

Ejusdem Instructionem tertiam de Conversatione privata.

Ejusdem Instructionem practicam quartam Pastorum, aliasque huc subsecuturas.

R. P. Emmanuelis Alvari Principia. Ejusdem Opus. Ejusdem Indicem, seu Rudimenta Grammatices. Et Syllabū Vocabulorū & Cæterosque omnes tam Scholasticos, quam non Scholasticos ante hac Dilingæ, cum simili Cæsareo Privilegio editos, & in futurum scribendos, cum Consensu Societatis IESV recudendi, vel de novo edendi, liberam potestatem facio. Eidemque & ipsius hæredibus Privilegium Cæsareum Societati nostræ concessum, eatenus indulgeo. Societate, & ipso invito, nemo supradictos libros recudere, nemo in Sacri Romani Imperij fines, & hæreditarias Sacrae Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat.

Et quia ex prædictis libris jam antea editis, aliquos sine licentia Societatis IESV, in grave nominatæ Typographiæ, & prædicti D. Ioanni Caspari Bencard præjudicium, & detrimentum, nonnulli recudendo præsumperunt; Eidem D. Ioanni Casparo Bencard de damnis illis querenti omnia hujus Generis Privilegia hæcenus illi Typographiæ competentia, & à prædecessore meo in ipsum collata, tribuo & commendo; Vt iisdem omni meliore modo, contra ante dictos, & quoscunque alios illius Cæsarei Privilegij Violatores utatur, & indemnitati consulat, in librorum ante memoratorum, aliorumque cum supra positis Societatis IESV consensu Dilingæ impressorū, ac imprimendorū distributione. In quorū omnium fidem, ac testimoniū, has meâ manu subscriptas, ac sigillo mei officij communivi. Dilingæ 22. Junij. Anno 1676

BENEDICTVS PAINTER S.